



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

XIII. An status perfectionis in statum incipientium, proficientium, & perfectorum conuenienter diuidatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

Resolutio affirmatiua.

Probatur prima pars.

12. Obiectio.

Illius solutio.

13. Respondetur ad primum exemplum.

14. Respondetur ad secundum exemplum.

actum, qui utramque partem illius obligationis comprehendat, id est, qui & ad perpetuū permanendum in tali viuendi modo; & ad obseruandum, seu exercendum in ea aliquid perfectionis obliget. Ita sumitur ex D. Thoma in loco citato. Et probatur prior pars, quia hæc obligatio postulatur propter immobilitatem, quam status requirit; ergo immediate, ac principaliter in permanentiam talis status cadere debet: sicut ciuilibis, & humana seruitus non constituitur per obligationem seruiendi, nisi illa de se perpetua sit, Nam si quis se obliget ad seruiendum pro certo tempore, vel quandiu sibi placuerit in contractu permanere; non erit in statu seruitutis, sed famulus, aut mercenarius esse dicitur.

Sed obijci potest. Quia in Ecclesia sunt aliqui viuendi modi in congregatione aliqua, vel communitate, cum obligatione obediendi, vel tali, aut tali modo ea operandi, quæ ad perfectionem pertinent, quandiu ibi manserint, & sine obligatione ad permanentiam; & nihilominus illud videtur sufficiens ad statum perfectionis, quia non est status communis vitæ Christianæ, aliquid enim maius est; ergo est status perfectionis; nõ enim datur medium, vt dixi. Item illa perpetuitas non videtur esse de ratione status perfectionis. Nam status Episcopi est status perfectionis, & tamen potest facile relinqui, & mutari quoad obligationem exercendi actiones Episcopales ad perfectionem pertinentes, licet consecratio indelebilis sit. Item aliqui viuentes in statu perfectionis possunt expelli, & illo statu priuari. Respondeo sine dubio ad proprium statum necessariam esse moralem immobilitatem, ac proinde obligationem semper manendi in tali modo, ac ratione viuendi, quantum est ex parte eius, qui talem statum assumit; alioqui non assumit statum, sed semper est, quasi in probatione, vel deliberatione de statu, an sibi conueniens sit.

Vnde ad primum exemplum respondeo, si obligatio permanendi omnino nulla sit, sed potius e contrario omnino liberum sit discedere, & talem viuendi modum relinqueri, non solum impunè, sed etiam sine culpa, per se loquendo talem viuendi modum, licet ad perfectionem utilis sit, quandiu durat, simpliciter non mereri nomen status. Vnde infra dicemus, tales communitates non esse sufficientes ad statum religiosum; nec in iure sub nomine religiosorum, seu regularium comprehendendi. Et ad argumentum responderetur, homines sic viuentes excedere ceteros communes fideles in actuali modo viuendi, cum maioris vitæ perfectione, non tamen in statu; sicut etiam inter ipsos coniugatos quidam perfectius viuunt, quam alii; & ex proposito voluntatis suæ seruant continuè, & perseveranter meliorem quandam viuendi modum; & nihilominus quoad statum non excedunt eos, qui minus perfecte viuunt. Sic ergo de illis voluntariè permanentibus in talibus congregationibus iudicandum est.

Ad secundum exemplum de Episcopis respondeamus habere de se sufficientem immobilitatem: nam tenentur semper in illo munere permanere, iuxta cap. nisi cum pridem. de Renunt. siue illa status ex voto proprio, siue ex institutione diuina, vel Ecclesiastica proueniat, quod postea videbimus. Vnde Episcopus non potest suo arbitrio statum mutare. Quod autem de licentia Pontificis, propter graues causas id interdum liceat, non est contra rationem status, quia eius immobilitas non est naturalis, aut metaphysica, sed moralis, ad quam factus est, vt ex grati causa, & ex propria obligatione personæ proueniat; licet per causam extrinsecam, & ob rationem grauiorem mutari possit. Vnde ad vltimum similiter responderetur, ibi etiam sufficientem firmitatem, & ob-

ligationem interuenire: vt latius dicemus in tomo sequenti, institutum societatis interpretando.

Altera verò pars de obligatione ad ipsas actiones perfectionis facile ostendi potest, aduertendo, sub actionibus comprehendi omissiones, seu priuationes morales actionum impediendum perfectionem, vt sæpe dixi, eadem est vtrarumque ratio. Sic licet, ergo fieri potest inductio. Nam status Episcopalis obligat ad pastoralis muneris actiones, status continentia, ad castitatem seruandam, & status religiosus ad paupertatem, & generatim ad obediendum, vel ad particulares actiones, quæ interdum promittuntur in speciali; vel ad obseruationem regulæ generatim, in gradu, & modo ab ea præscripto. Et in vniuersum omnis status, præsertim seruitutis, ad aliquam actionem obligat, vt in matrimonio, seruitute humana, & similibus videre licet. Vnde ratio à priori est. Quia status inde dicitur perfectionis, quod firmiter ad opera perfectionis ordinatur; hic autem ordo, cum moralis sit, intelligi non potest sine aliqua obligatione. Quauis hæc maior, vel minor esse possit: nam interdum immediate inducitur per ipsum actum promittendi: vt cum status hic assumitur per votum speciale abstinendi à carnibus, vel quid simile; interdum mediate tantum per votum obediendi, immediate vero per præceptum prælati; & tunc variari poterit obligatio iuxta modum præcepti, seu mandati, aut regulæ.

Vnde obiter intelligitur, obligationem ad illa duo, quæ de clarauimus, scilicet, ad opera perfectionis, & ad permanentiam, in ratione vitæ, quæ talia opera exigat, interdum contrahi ex vi vnus, & cuiusdem actus, interdum ex diueris. Nam religiosus ex absoluto voto obedientia obligatur ad actiones inuincitas, & ad permanentiam semper in tali statu, seu seruitute; & in quocumque voto de se perpetuò idem videre licet. At in Episcopatu obligatio ad actionem nascitur ex munere semel suscepto, quandiu illud durat; quod autem permanere in illo sit ex obligatione, videtur maxime esse ex institutione, & lege Ecclesiæ; quia ex vi solius muneris non interuenit aliquod votum, vel promissio perpetua. Vnde in d. cap. nisi cum pridem, dicitur: Cedere Episcopatus sine licentia, Apostolica auctoritate esse interdictionem, & necibus præceptorum impediri. Quia vero illa lex iam est perpetuo adiuncta tali muneri, ideo obligat, eo ipso, quod munus sub tali conditione acceptatur, & ita diuersam habet radicem, licet supposita lege Ecclesiæ: eodem voluntario actu suscipiendi tale munus, utraque obligatio contrahatur. Quæ omnia ex dicendis in sequentibus clariora fient.

CAPVT XIII.

An status perfectionis in statu incipientium, profectuum, & perfectorum conuenienter diuidatur.

Explicata ratione, seu essentia status perfectionis, nonnullæ illius diuisiones explicandæ sunt, vt cognita statuum varietate, & explicatis breuiter ceteris, quæ à proprio statu religioso distincta sunt, circa religiosum statum, qui est huius operis scopus, diutius immoremur. Incipimus autem à proposita diuisione, & quia per eam non tam variæ species totales, vt sic dicam, status perfectionis, quam diuersi gradus eiusdem status, & quasi varia membra eiusdem corporis distinguuntur, vt dicemus, & quia illam præcipue tradidit D. Thomas in hac materia 2. 2. q. 183. a. 4. Oportet autem ante omnia æquiuocationem quandam circa diuisionem illius partitionis tollere, multum enim ad eius intelligentiam confert. Nomen enim status, vt supra tactum est, interdum significat conditionem, vel gradum perfectionis, seu

15. Probatur secunda pars superioris resolutionis.

Probatur secunda ratio à priori.

16. Obligatio ad opera perfectionis, & ad permanentiam in ratione vitæ modo ex uno actu, modo ex multis contrahitur.

17. Dicitur de statu perfectionis.

Nomen status dupliciter usatur.

terminum ad quem res, vel qualitas aliqua in suo augmento pervenit: vt distinguitur status pueritiae, iuventutis, & senectutis; aliquando vero significat stabilem vivendi modum in ordine ad aliquem finem. Vroque ergo modo potest in dicta partitione sumi status perfectionis. Et priori modo pertinet divisio ad ipsam charitatem, seu perfectionem eius; & ita illam tradidit D. Thomas 2. 2. q. 24. a. 9. Posteriori autem modo dicitur proprie de statu seu de modo querendi, aut exercendi perfectionem, & in hoc sensu traditur ad D. Thomam in d. q. 18, & in eo ad presentem locum pertinet. Quia tamen iste status dicitur habitudinem ad perfectionem charitatis, vt diximus, non potest divisio in posteriori sensu sine priori recte explicari. Et ideo de illo pauca praemittimus.

Solent ergo illi tres gradus, vel ipsi charitati tribui, scilicet incipienti, proficienti, & perfecta: vel personis, & scilicet Patres eam tradere sub nominibus incipientium, proficientium, & perfectorum. Atque hos etiam gradus non solum in charitate, sed etiam in fide, & in cognitione Christi, & in scientia divini eloqui, & in omni virtute solent etiam Patres distinguere: vt videlicet in Gregorio lib. 2. in Ezechiel. hom. 15. circa verba illa cap. 40. *Veni ad portam, & ascendi per gradus eius*, per quos mystice intelligitur virtutum gradus. Quia vnaquaque virtus, ait, quasi quibusdam gradibus agit: aliud namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Et similia latius habet lib. 22. Moral. cap. 14. alias 11. & 22. ubi etiam in discursu iustificacionis illos tres gradus distinguit, & in diversis virtutibus inter se comparatis, & in eadem virtute, fidei, vel alia simili; & absolute in augmento gratiae, & sanctitatis. Sic etiam Bernard. lib. de vit. solit. ad frat. de Monte Dei, parum post principium. Et illos tres gradus prius distinguit, & postea in vnoquoque illorum alios tres similes status considerat, & copiose, ac eleganter profecquitur. Et Hugo de Sancto Victore in serm. 1. sup. Eccl. in cognitione Dei, seu mentali oratione, eosdem tres gradus distinguit. Et Richard. de sancto Victore in duobus opusculis de gradibus charitatis; etiam in charitate perfecta quatuor gradus enumerat: in sensu tamen longe diverso, quia illi potius sunt varii effectus charitatis, quam gradus, seu status. Et ad hunc modum multi alii Patres divisionem hanc attigerunt, & praecipue in charitate illam tradunt, quia est praecipua virtus, & forma ceterarum, & vinculum, ac substantia perfectionis.

Praecipue vero notanda sunt duo Augustini loca; quia in eis videtur quantum membrum illi partitioni adiungere. Nam in lib. de Nat. & Grat. ca. 70. de illa dixit: *inchoata charitas, inchoata iustitia est; charitas procreta, procreta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est.* Circa quae verba dubitare poterit aliquis, quomodo Augustinus quatuor status, seu gradus charitatis distinguit? Possitque apparenter responderi, per charitatem perfectam intelligere Augustinum charitatem Patriae: nam charitatis via (vt in puncto sequenti dicemus) nunquam est simpliciter perfecta; & ideo videtur melius vocari magna, quando ad perfectiorem gradum huius vitae pervenit. Oblat vero, quia statim Augustinus, etiam maiorem charitatem in hac vita esse posse fatetur, & ultra illam addit perfectionem vitae futurae, dicens: *sed miror, si non habet, quod crescat, cum de mortali exierit vita.* Accedit, quod tractat. in Ioan. ante medium, de charitate ait: *vt proficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur.* Vbi etiam quatuor membra enumerat, & in ultimo sine dubio loquitur de perfectione vitae huius: nam adiungit: *Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.*

Cum ad perfectionem venerit, quid dicitur. Mibi vivere Christus est, & mori lucrum; optatam dissolvi, & esse cum Christo. Hoc autem dicit charitas huius vitae, vt ibi late profecquitur.

Indicat ergo Augustinus in verbis illis, in charitate secundum se spectata, (vt sic dicam) supponi ante dictos tres gradus substantiam eius, vt productum per primam regenerationem, hanc enim vocat in posteriori testimonio charitatem natam: sicut in infante ante omnia supponitur substantia corporis, prout generationem praecise terminat; & deinde incipit nutrir, & postea roborari, donec perficiatur. Et consequenter in priori testimonio charitatem inchoatam vocat eandem, quam in alio loco charitatem natam appellavit, quae nullum augmentum adhuc accepit. Iuxta quam expositionem charitas incipiens non dicitur in ordine ad productionem, sed in ordine ad aliquod augmentum adeo paruum, vt ad robur non sufficiat. Estque probabilis modus loquendi, quoniam nihil impedit sub charitate incipientium comprehendere totum statum, quem habet charitas ab ipsa productione prima inclusivae, vt sic dicam, usque ad certum terminum incrementi. Et ita in quocunque sensu trimembris illa divisio sufficiens est.

In modo autem distinguendi illa membra, inveniuntur in Patribus nonnulla varietas, quae in re ipsa potest habere fundamentum. Nam in charitate inveniuntur latitudo graduum intensiois, & quantitas extensionis ad varios actus, vel obiecta, & maior, vel minor perfectio in modo operandi, vel tendendo ad bonum, vel resistendo malis, & peccatis. Primo ergo potest illa partitio secundum varios intensiois charitatis gradus explicari: nam in qualibet qualitate, inchoata qualitas dici potest, quae est valde remissa; perfecta, quae est summe intensa; procreta vero, seu proficiens dici potest, quae medio eam habet intensioem, vel in quocunque gradu medio inter infimum, & supremum gradum existat. Possuntque ad hunc sensum verba Augustini accommodari. Et fortasse moraliter, seu regulariter loquendo in dictis charitatis gradibus diversitas illa secundum intensioem reperitur; quia charitas suis actibus, vel elicitis, vel imperatis augetur in quocunque perfectionis augmento; simulque eisdem actibus in intensioe crescit. Nihilominus tamen non possunt illi gradus primo, & per se per maiorem, aut minorem intensioem distingui. Primo quidem, quia perfectus status charitatis non consistit in gradu intensiois, vt supra dictum est; nec inferiores status possunt per gradus intensiois discerni. Secundo, quia intensio charitatis via non habet certum terminum; ergo ex illa parte non potest assignari status perfecte charitatis per intensioem summam; ergo nec potest designari aliquis certus gradus intensiois, & augmenti, in quo ille status incipiat, & finiatur status medius, qui proficientium dicitur. Eademque ratio est de gradu remissionis, & de initio status augmenti. Tertio, quia intensio gratiae, & charitatis potest crescere ex opere operato, vel ex multitudine actuum, ac diuturnitate vitae; etiam si homo semper imperfecte operetur; & in statu incipientium, & valde imperfectorum maneat.

Secundo possunt illa membra distingui per extensionem charitatis: & sic distinguit Bonaventura tres gradus charitatis, in Opus. de gradib. virt. cap. 1. tom. 1. Primus extenditur ad solos amicos, secundus ad inimicos in necessariis, tertius ad inimicos in his, quae supererogationis sunt. At primus gradus non meretur nomen charitatis, quia non includit omnia, quae sunt de substantia charitatis. Vnde Christus dixit, etiam Ethnicus illam dilectionem habere. Alter idem Bonav. in Apologia pauperum

Charitatis status in quatuor membris dividitur, sed omnia in tribus assignantur.

Non dicitur charitas procreta, vel inchoata, sed inchoata.

Aliqui distinguunt charitatem ratione extensionis ad varios actus.

in 1. responsione p. 3. a. 1. Primum gradum ponit in charitate amplectente obseruantiam mandatorum: secundum, in extensione ad consilia: tertium in perfruitione (vt ait) sempiternalium inmundatum; vtique quantum in hac vita haberipotest. Postea vero in secunda responsione p. 1. art. 1. ponit hunc tertium gradum charitatis perfectæ in desiderio moriendi pro Christo, vel pro salute animarum; quod etiam habet in primo loco citato. Et eundem insinuant Bernard. & August. supra. Et lib. de Gratia, & lib. arbit. cap. 17. Pluresque alios modos distinguendi hos gradus, tradunt Hugo, & Richard. de sanct. Vict. & Bernard. locis citatis, qui sunt probabiles.

Quod autem ad rem præsentem spectat, nos supponimus, in omnibus istis gradibus includi totam charitatis extensionem, quæ illi essentialis dici potest; vt est ex parte obiectorum ad Deum, & proximum, siue amicum, siue inimicum, & ex parte actuum ad implenda omnia præcepta; & consequenter etiam ad moriendum pro Christo, vel fide eius, vel pro iustitia, aut pro salute proximorum in casu necessitatis. Deinde credimus, intra illam extensionem posse distinguere illos tres gradus incipientis, proficientis, & perfectæ charitatis, vt statim explicabimus. Item addimus vltra totâ illam amplitudinem charitatis dari perfectionem eius per extensionem ad consilia, & opera superrogationis, tam erga Deum, quam erga proximum, tam inimicū, quam amicum. Et adhuc in charitate sic extensa, quæ respectu prioris dici potest perfecta, distinguendos esse illos tres gradus incipientium, proficientium, vtique in via perfectionis; & eorum, qui iam in illa perfecti sunt. Quomodo distinguere solent mystici Theologi tres vias, purgatiuam, illuminatiuam, & vniuiam.

Tertio ergo concludimus, tres illos status distinguendos esse ex modo operandi magis, vel minus perfecto; vel ipsam dilectionem Dei, & proximi, vel opera virtutum, quæ ipsa charitas, vel ex necessitate, vel ex consilio, vel ad melius esse postulabat. Hic autem modus operandi esse videtur promptitudo, facilitas, & delectabilitas in operibus charitatis, siue elicitis, siue imperatis. Nam modus operandi proprius virtutis, seu ex virtute, est promptus, ac delectabiliter operari; cum ergo charitas sit maxima virtutum, recte gradus perfectionis eius, ex diuersitate in tali modo operandi distinguuntur. Et inde poterit etiam oriri diuersitas in modo operandi magis, vel minus feruente, id est, cum maiori, vel minori conatu, & intentione; atque etiam in extensione ad actus difficiliore, vel heroicos. Atque hoc modo charitas incipiens vocabitur illa, quæ à concupiscentiis, & aliis passionibus nondum mortificatis, non solum impeditur, nec facili, & delectabiliter virtutem operetur, sed etiam in periculo versatur, vt à peccato aliquo superetur, & expellatur. Et hic status dicitur status pugne, & via purgatiuæ, quia in illo præcipua cura esse debet resistendi concupiscentiis, & mortificandi passiones, nutriendo simul, & seruando charitatem ipsam, vt D. Thomas in d. art. 9. dixit. Hoc autem fieri potest, & debet, non tantum seruando præcepta, sed etiam præueniendo (vt sic dicam) occasiones, in quibus præcepta obligant: vt ad vitanda peccata illis contraria, charitas prompta, & optime disposita sit. Et ideo talis status licet ex vna parte imperfectus sit, ex alia in statu perfectionis etiam intenditur.

Secundus autem gradus charitatis proficientis, seu prouectæ, incipit etiam ex parte subiecti, quando iam in illo passiones ita sedate sunt, vt pugna contra concupiscentiam non ita sollicitè animum diligentem Deum, præsertim de lapsu graui, quia iam promptè, & facili ter incumbat operationi vir-

tutis, eiusdemque charitatis incremento. Et ideo ille status dicitur via illuminatiuæ; quia in eo mens magis, ac magis illuminatur in operationem virtutis. Vnde in hoc gradu fortior est charitas ad promptè, & facili ter euitanda peccata mortalia, quamuis in vitandis venialibus adhuc difficultatem patiat. Tertius autem gradus charitatis perfectæ esse dicitur, quando iam sunt passiones ita edomite, & animus operationi virtutis adeo est aduersus, vt in proprio, & perfectissimo munere charitatis, quod est diligere Deum, promptè, & delectabiliter se exerceat. Et hic est status perfectionis huius vitæ; qui merito via vniuiæ esse dicitur; quia per dilectionem cum Deo vniuit; & hoc est præcipuum huius gradus studium.

Et hoc ferè modo explicat distinctionem horum graduum D. Thomas in dicto art. 9. nam licet dicat, hos gradus distinguere secundum diuersa studia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum, vtique pugnandi contra peccata, crescendo in virtute, & se Deo vniendi; in idem reuera coincidit, quia ex dispositione subiecti, eiusque repugnantia nascitur necesse sitas prius pugnandi contra peccata, & concupiscentias, & postea exercendi ceteras virtutes, quibus animus præparetur, vt tandem in Deo quietari, & se Deo vniiri valeat. In idem etiam reuoluitur, quod de his gradibus sapienter, ac deuote scribit Bernardus serm. 3. & 4. in Cant. eos per oscula pedum, manuum, & oris Christi distinguens, quod obsecutus attigerat Oigen hom. 1. in Cant. Eandemque ferè doctrinam habet Greg. lib. 24. Moral. cap. 7. alijs 12. & 13. vbi habet illa verba, quæ D. Thomas refert in argum. Sed contra. dicti art. 4. Tres modi sunt conuersionis; inchoatio, mediocritas, atque perfectio. Quos dicto ferè modo declarat.

Hactenus diximus de priori sensu illius diuisionis; quoniam, vt dixi, ad secundum, huius loci proprium, explicandum, necessarium visum est. Hinc enim nascitur difficultas, quomodo possit diuisio illa ad proprium statum perfectionis applicari. Primum, quia nullus est status perfectionis, qui ad solam inchoationem perfectionis, seu ad solum primum gradum charitatis incipientium tendat, seu in illo terminetur, ac sistat, quia licet ad perfectionem pertineat per illum gradum acquirere, non tamen in illo sistere, sed potius studium perfectionis est, semper vltius progredi. Vnde idem argumentum fieri potest de secundo gradu respectu tertii; ergo non possunt gradus perfectionis secundum illa tria membra distinguere. Secundo obicit sibi D. Thomas d. a. 4. quia status perfectionis pertinet ad statum libertatis, vel seruitutis; sed ad illum statum non pertinet illa differentia trium graduum; quia status perfectionis de se ad perfectum obsequium tendit, & obligat; & quid quid minus præstat, potius est defectus talis status, quam eius differentia. Tertio est specialis difficultas circa distinctionem tertii membri à secundo. Quia in hac vita non potest talis perfectio acquiri, in qua sistatur; quia in hac vita semper vltius progrediendum est. Ergo nec dari potest talis perfectionis distinctus, à gradu, seu statu proficienti. Probatur consequentia, quia summa huius vitæ perfectio in proficienti posita est. Et eadem ferè difficultas est in assignanda differentia inter primum, & secundum gradum, seu statum.

Ad has difficultates soluendas, & diuisionem in hoc sensu explicandam, aduerto, duobus modis intelligi posse statum diuini in illa tria membra; vnus est, vt tres illi status secundum quandam limitationem inferiorum graduum omnino inter se distincti intelligantur, ad eum modum, quo species numerorum distinguuntur, quia maior numerus includit minorem,

7. Prædicta diuisio non cadit etiam in charitate perfectionis ex responsione ad varios alios.

8. Tres charitatis status ex modo operandi magis, vel minus perfecto distinguuntur.

Quoniam sic charitas incipiens.

9. Quia sic charitas proficientis.

Charitas perfecta explicatur.

10. D. Thomas & alii in distinctione horum graduum charitatis explicatur.

11. Impugnatur prædicta diuisio ad proprium statum perfectionis applicari.

Secundum.

Tertium.

12. Quibus modis intelligi possit prædicta diuisio.

notem, & non e converso. Sic ergo status incipientium dicitur ille, in quo solum quaeritur charitas inchoata, & ibi sicutur ex vi status. Proficientium autem dicitur, qui includit praecedentem, non tamen in eius oppositum, sed ulterius progreditur usque ad statum proeecta charitatis, & in eo sicutur ex vi talis modi viuendi. Vltimus vero erit perfectorum status, qui ultra praedictos status, ad perfectam cum Deo vnionem instituit professores suos. Alia vero intelliguntur illius diuisionis esse potest, vt membra illa solum sint partialiter (vt sic dicam) in vno consummato, & integro statu perfectionis.

13. Iuxta priorem sensum dicunt aliqui, non esse necessarium tres illos gradus ad statum perfectionis pertinere; sed satis esse, vt in diuersis statibus vitae Christianae inueniantur. Vnde aliqui tribuunt statum incipientium coniugatis, quia ex vi status non habent media, quibus proficiant ultra illum gradum; imò ex vi status subiecti sunt concupiscentiis, & impedimentis iuxta illud 1. Corinth. 7. Tribulationem autem carnis habebimus huiusmodi, ego autem vobis parco. Et quod alibi dicitur parentes teneri filiis rechauizare, quod sine distractione, & animi diuisione non fit. Sed haec accommodatio non placet: tum, quia illi tres gradus, in his praefertim, qui viam perfectionis proficiunt, inueniuntur, & distinguuntur a Patribus. Tum etiam, quia coniugati ex vi matrimonii non habent peculiarem statum vitae Christianae formaliter sumptae, sed tantum materialiter, vt iam explicauimus. Et ideo sicut ex vi status matrimonii non sunt alligati ad sola praepcepta seruanda, sed possunt multa consilia seruare, si velint: ita etiam non sunt limitati quoad perfectionem charitatis ad gradum incipientium, sed etiam gradum perfectorum possunt attingere, vt supra etiam dixi. Ergo sine causa dicitur ex vi coniugii in statu incipientium commorari. Tum denique, quia iuxta illam accommodationem non poterunt alii duo gradus communiter distingui, vel alius viuendi modus attribui.

14. Alii inter eos, qui aliquo modo statum perfectionis participant, ita illa membra distribuunt, vt gradum incipientium illis personis attribuant, quae extra religionis statum aliquo modo speciali diuino obsequio se dedicant per votum castitatis, vel aliud simile. Gradum autem perfectionis omnibus religionis accommodant: gradum autem perfectorum in solis Episcopis agnoscunt. Sed haec etiam accommodatio nullo modo admittenda est. Primum quidem, quia falsum est, religiosum statum ad gradum proficientium limitari. Nam, vt infra ostendemus, simpliciter est schola perfectionis; & in eo maxime potest charitas ad perfectum statum in hac vita possibilem peruenire. Hoc enim experientia ostendit, & docent Patres, vbicunque de illis tribus statibus charitatis loquuntur, Bernardus praefertim, & Gregorius. Et ratio idem demonstrat, quia in illo statu impedimenta omnia pertinenendi ad perfectionem, maxime auferuntur, & media praecipue illam acquirendi inueniuntur. Ergo ille status non sicut in gradu proficientium, sed maxime tendit ad gradum perfectorum. Vnde D. Thom. q. 184. a. 5. tam religiosus, quam Episcopis statum perfectionis simpliciter attribuit. Vnde clare sentit, statum religionis non esse tantum statum proficientium: nam si ibi susteret, non posset dici absolute status perfectionis: praeterea quod, si status perfectionis ita sumatur, non erit adequata diuio: vt in sequentibus declarabimus.

15. Tandem primum membrum de statu incipientium, non recte attribuitur continentibus, aut virginibus, qui solum castitatem vident; & secundum exigentiam illius status vitam in statuunt. Nam si sunt in statu alicuius perfectionis, cur non erunt etiam in

statu proficientium? Etenim modus ille viuendi aptissimus est ad proficiendum in charitate: vt aperte sentit Paulus 1. Cor. 7. dicens de Virgine: Cogitat, quae Domini sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu. Vtique iuxta status sui exigentiam: & e converso, mortificatio passionum ad illius status conseruationem, & debitam obseruantiam valde necessaria est, & per illam ad statum proficientium peruenitur; nulla ergo ratione potest status ille ad gradum incipientium limitari. Imò etiam de se disponit ad gradum perfectorum attingendum; ideoque nec ab illo excludi potest. Praefertim, quia etiam in ipsa perfectione latitudo inuenitur: & licet forte talis status praecise spectatus per se, & ex vi sua ad summam perfectionem non sufficiat; nihilominus ad aliquem gradum perfectionis, qui gradum proficientium excedat, per se potest hominem perducere.

Multo ergo probabilior est posterior modus explicandi illam diuisionem, nimirum vt non sit quasi diuio generis in species, id est, status perfectionis in varios viuendi modos, qui sint veluti species sub genere contentae: sed sit diuio vel accidentis in subiecta; vel subiecti in accidentia. Primam partem probant primae duae rationes dubitandi in principio posita; & quae contra alios dicendi modos obiecta sunt. Et illam docet Caietanus in q. 183. in principio, dicens, statum incipientium, & proficientium non nisi imperfecte habere rationem status, nec esse veluti species de per se, sed veluti vias ad aliud: nam ipsa nomina incipientium, & proficientium, includunt habitu dine ad perfectionem, tanquam ad terminum.

16. Aliae vero duae partes sunt probabiles, & sub diuersis rationibus veritatem continent; status enim perfectionis est, quasi accidentis quoddam illis personis inherens, quae talem statum proficiunt. Idem autem status, idemque viuendi modus inuenitur in quibusdam incipientibus, & in aliis proficientibus, & tandem in aliis, qui iam perfectionem attingerunt. Quia non omnes, qui eandem rationem vitae proficiuntur, aequales progressus in illa faciunt; vel aequaliter illam obseruant: & ideo non tantum perfectionis status generatim sumptus, sed etiam in specie, & in indiuiduo recte diuiditur in illa tria membra ex parte personarum. Perinde enim est, ac si diceretur; in statu perfectionis quidam sunt incipientes, alii proficientes, alii perfecti. Sicque dixit D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 1. ad 3. In religione non omnes sunt perfecti, sed quidam incipientes, quidam proficientes. Ideoque in hac consideratione recte dicitur illa diuio accidentis in subiecta; & sic dixit Bernardus in d. lib. de vit. solit. Hoc autem modo, sicut stella a stella differt in claritate, sic cella a cella; in conuersatione scilicet, incipientium, proficientium, & perfectorum.

17. Aliter vero sumi potest ipse religionis status, quasi subiectum capax diuersorum modorum accidentium. Et sic potest illa diuio accipi, & dici subiecti in accidentia; qualis est diuio caloris in remissum, & intensum; & charitatis in incipientem, nutritam, & perfectam, vt supra explicatum est. Eodem enim modo status perfectionis potest considerari, vel tanquam inchoatus, vel vt iam proeectus, vel vt plenus, & perfectus; & ideo recte in illa tria membra, tanquam subiectum in accidentia distingui. Et hoc videtur D. Thomas significasse in d. q. 183. a. 4. dicens: In omni humano studio est inuenire principium, medium, & finem; & ideo status spiritualis seruicium, ac libertatis secundum tria distinguitur, principium ad quod pertinet status incipientium; medium ad quod pertinet status proficientium; & finem, ad quem status perfectorum spectat.

18. Vnde fit, vt in vnoquoque statu perfectionis acquirere, seu qui est via ad perfectionem possint illa tria membra distingui; quia vnusquisque status perfectionis

nonibus
aut vtrius
nonibus

16.
Practica
diuio est
vel acci
dentis in
subiecta,
vel subiecti
in acciden
tia.

17.
Explicatur
quaratio
ne sit diuio
accidentis
in sub
iecta.

18.
Ostenditur
quomodo
sit diuio
subiecti in
accidentia.

19.
In quodam
quoque statu

Meo te
in modis
tar contin
pula sta
tum incip
ientiam.

14.
Non bene
accipitur
dicitur non
vt signifi
catur in
perfectionem,
in perfectis
in perfectis
in perfectis
in perfectis
in perfectis
in perfectis

15.
Inuenitur
perfectionem
non recte
attribuitur
non recte

Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.



perfectionis illa tria membra considerari possunt.

fectionis est studium quoddam habens initium, medium, & finem. Et hinc etiam addere possumus, in illa partitione numerari quasi tres partes integras eundem statum perfectionis, qui sit studium acquirendae perfectionis; & in ea ratione completum, & consummatum sit. Nam in eo esse debet peculiaris ratio inchoandi perfectionem; & inde transeundi ad studium proficiendi in perfectione; vt tandem sequatur institutio ipsius perfectionis; ita vt singulis gradibus propria exercitia, & media, atque actiones deputentur. Vnde quauis in omnibus illis membris, ac eorum singulis, firmitas, & essentialis ratio status perfectionis inueniatur; nihilominus in solo tertio membro est tanquam in termino; in ceteris vero, tanquam in transitu, & quasi progressu ad illud. Atque hanc doctrinam ferè tota breuiter amplexus est Bernardus in d. tr. de vit. solit. vbi cum distinxisset illos tres status, dicens: *Incipientium status potest dui animalis, proficientium rationalis, perfectorum spiritalis;* paulo post adiungit: *Et cum ex his tribus hominum generibus constet omnis status religionum, que sicut propriis nominibus distinguuntur, ita dignoscuntur ex suorum proprietate studiorum: debent omnes filii Dei in die, qui est, semper diligenter prospicere, quid de se sibi, vnde venerint, quousque peruenerint; & in quo proficiendi statu singulis diebus, vel horis sua se estimat, & deprehendat.* Vnde necesse est, vt integrum perfectionis studium tres illos processus, seu status, quasi partes suas comprehendat; sitque veluti quoddam totum heterogeneum ex illis membris inter se distinctis constans. Ex quo etiam fieri potest, vt secundum maiorem, vel minorem participationem actionum, & studiorum partialium varii status perfectionis, seu religionis inter se distinguantur: vt infra tractando de varietate religionum copiosius dicemus.

20. Soluuntur illa tria membra dubitandi merito proposita.

Ex his facile est rationibus dubitandi in principio positus respondere. Nam prima, & secunda recte probant, illa tria membra non distingui vt tres species status perfectionis totaliter diuersas; non tamen probant, intra eundem integrum statum non distingui, vt partes eius. Quia licet totus status non sistat in gradu inchoato, vel medio: nihilominus, quia nemo repente fit summus; ideo necesse est, vt per inferiores gradus paulatim ad superiores tendatur. Eo vel maxime, quod, vt dixit Bernardus supra, in quolibet illorum graduum suus modus perfectionis inuenitur, quæ in singulis quaerenda est. Ab omnibus (ait) vobis (vtique religiosis) perfectio exigitur, licet non vniformis, sed si incipis, incipe perfecte; si iam in profectus es, & hoc ipsum iam perfecte age; si autem perfectionis aliquid attigisti, te ipsum in teipso mire. Et cum apostolo: Non quiddam iam apprehenderim, aut perfectus sim, sequor autem, si forte comprehendam, in quo, & comprehensus sum; vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, & ad ea, quæ sunt priora excedens meipsum, ad designatum persequor, ad brauium supernæ vocationis in Christo Iesu, ad Philip. 3.

21. Soluuntur tertium ratio dubitandi.

Et hinc consequenter responder Bernardus ad tertiam rationem dubitandi propositam, in qua petebatur, quomodo possit in hac vita distingui status proficientium à statu perfectorum, cum in præsentem quandiu vita durat, proficiendum sit. Respondet ergo tacite Bernardus, addendo verba apostoli in eodem loco. *Quarquet ergo perfecti sumus, hoc sapiamus. In quo (ait) manifeste apostolo docente, declaratur, quia perfectiorum, quæ retro sunt, obliuio, & perfecta in anteriora extensio, ipsa est hominum iusti in hac vita perfectio. Et perfectio huius perfectionis ibi erit, vbi erit brauium supernæ vocationis perfecta apprehensio. Dico ergo, objectionem solum probare, statum perfectorum in hac vita non consistere in hoc, vt ad terminum augmenti peruenitum sit; ita vt ultra non sit progrediendum, hoc enim potius perfectioni huius vitæ repugnat. Nam, vt optime idem Bernardus epist. 253, dixit, *Indefessum pro-**

ficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Et hæc est communis Patrum doctrina, vt videri potest in Aug. tract. 4. in 1. epist. Ioan. & serm. 15. de Verb. Apost. & serm. 50. de Temp. & lib. de Cant. nouo cap. 4. Cassian. collat. 1. præsertim cap. 7. & 13. Basil. hom. 11. Exaemer. in id. Crescite, &c. Greg. hom. 13. in Ezechiel. Status ergo perfectorum non distinguitur à statu proficientium in carentia augmenti, sed potius in maiori affectu, diligencia in facilitate proficiendi. Itemque in maiori feruore operandi altiora, & excellentiora opera apta ad maiorem profectum.

Denique addit D. Thomas d. q. 184. a. 2. *Excedunt perfecti, quia ab illorum affectu excluditur, non solum illud, quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud, quod affectum mentis impedit, ne totaliter feratur in Deum.* Quorum verborum sensus non est, perfectionem huius vitæ excludere omnia peccata venialia, vel omnem concupiscentiam, seu omnes eius motus inordinatos; id enim capacitatem huius vitæ excedit: vt docet Aug. lib. de perfect. iustitia, & ex materia de Gratia suppono; sed est sensus, quod hæc excludantur à delibato affectu eius, qui ad statum perfectorum attingit. Et ideo ab his impedimentis facilius, ac frequentius se expedit. Et in eodem sensu accipiendum est, quod dixit Aug. lib. 83. quaest. q. 36. *Charitatis venenum est spiritus ad ipsos endorum, aut retinendorum temporalium: nutrit mentum eius est immunitio cupiditatis. Perfectio nulla cupit diu.* Vtique secundum deliberatum affectum. Vnde in lib. de perfect. iustitia. cap. 9. exponendo plura testimonia diuinae Scripturæ, quibus ad perfectam viuendum, & sine macula promouemur, ait: *Currentes exhortantur, vt perfecti currant.* Et statim adiungit: *Ingressi sine macula non absque etiam ille dicitur, qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carnis criminibus damnabilibus; atque ipsa peccata venialia non negligens mundare elemesina.* Vbi significat, quauis status, seu gradus perfectorum non omnia venialia peccata excludat; ad illam nihilominus pertinere, vt multum minuantur, & quæ interdum ex fragilitate accidunt, quam citissime mundentur.

CAPVT XIV.

Vtrum status perfectionis in statu illum acquirendi, vel eandem exercendi conuenienter distinguatur; & quomodo Episcopi in statu perfectionis esse dicantur.

Hæc diuisio à paucis Doctoribus sub illis terminis traditur, ab omnibus autem supponitur, vel comprehenditur in alia, quæ verbis ferè æquivalentibus traditur, distinguendo statum perfectionis in statum religiosorum, & Episcoporum; vt est apud D. Thomam 2. 2. q. 184. a. 5. & sequentibus. tamen quia hæc diuisio sub his terminis data non potest sufficienter intelligi, nisi antea sub prioribus terminis declaratur, (vt ex dicendis patebit) ideo quarimus, an status perfectionis conuenienter diuidatur, in statum perfectionis acquirendæ; id est, qui sit veluti studium, & schola, in qua doceantur homines perfectionem addiscere, & obtinere: & in statum perfectionis exercendæ; id est, in quo obligetur quis opera perfectionis exercere; etiam si ex vi illius status perfectionem propriam acquirere non doceatur. Et quidem in primo membro huius partitionis, nihil dubitationis, aut difficultatis est. Nam in capitibus præcedentibus probatum est dari in Ecclesia statum perfectionis, aliquid addens statum communi Christianæ vitæ, & omnia, quæ de illo statu diximus, maxime procedunt de statu tendente ad perfectionem inchoandam, promouendam, & consummandam; ergo omnia, quæ adduximus, probant dari in Ecclesia statum, qui sit schola perfectionis, vel (vt illum D. Thomas vocat) perfecti-

22.

1. Vtrum status perfectionis in statu illum acquirendi, vel eandem exercendi conuenienter distinguatur; & quomodo Episcopi in statu perfectionis esse dicantur.

In primo membro nulla dubitatio est, acquirenda & exercenda.